

90
2998
BELLORVM CRVDELITAS
CHRISTIANAE RELIGIONIS LENITATE
MITIGATA

BREVIS COMMENTATIO

QVA

AD IUVENVVM
ORATIONES

D. XXI. APRIL. MDCCCLXXX. 1780

BENEVOLE AVDIENDAS

OFFICIOSISSIME ATQVE HVMANISSIME

INVITAT

CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE

A. M. SCHOLAE DRESD. CRVC. RECTOR.



DRESDAE,

LITTERIS HENRICI WILHELMI HARPETERI. 8998

1785

LIBRARY OF THE
SACHTHOFER
MUSEUM

NO. 1000

ORATORIALES
MUSEUM

Sächsische
Landesbibliothek
2 NOV 1954
Dresden

6



In animo nostro sensuque intimo defixa, eo minus obscurata aut deleta est pacis, anno superiori factae, memoria, quo maius illa et inexpectatius Dei beneficium exhibet, omni Germaniae nullis non temporibus praedicandum. Cum enim summi consiliis et opibus Principes, viribus vndique collectis, bellum suscepissent, haud prius finiendum, quam rebus, quae per disceptationem confici non posse videbantur, per vim armorum compositis: Pacem breui recuperandam potius, amore ducti patriae, optabamus, quam futura prospicientes, sperabamus. Timueramus, vti fieri solet in humanis, ne bellum, tanto animorum ardore conflatum, tam diu duraret cum grauiori calamitate ac periculo regionis nostrae, quam superius illud, cuius nostrum adhuc pectus effodit recordatio. Sed, velut ex machina, Germaniae ac patriae apparuit Deus animis belligerantium imperans. Graui, quae imminebat, tempestate dispulsa, praeter spem, tranquillitas rediit, fulmina quasi posuerunt, ira sedata, terrarum Domini, dextrisque inter se iunctis in concordiam coierunt

Ecquae tandem caussa est animorum celerius paene conciliatorum, quam alienatorum? Quae vis partes impulit ac mouit belligerantes, vt in pacis foedera, tantis difficultatibus impedita, coalescerent? Varias quidem conuersionis rerum, tam mirificae, rationes reddunt viri ciuiles, tum ex regnorum inter se vinculo et colligatione, tum ex natura et conditione exercituum, tum ex prudentia heroum singula circumspicientium, et fortitudine repetitas; neque nos ii sumus, qui talibus pacificationis, minus expectatae, caussis nihil tribuendum existimemus: Sed liceat nobis altius escendere.

Liceat nobis admirari ac venerari prouidentiam Numinis mitissimi ac sapientissimi, quod religione meliori flectit animos, atque ad sanguinem humanum non temere effundendum compellit. Sicut igitur aetas nostra mitior in dies fit atque mansuetior; ita, ne miseria generis humani Martis, tam ancipitis ac dubii, augeatur iniuriis, prohibendum putat: Quod quo manifestius appareat, breui commentatione efficiam, bellorum crudelitatem Christianae religionis lenitate mitigari.

Quanta in armis dominetur saeuitia, nemo, quod sciam, veterum scriptorum breuius ac neruosius enumerauit, quam Iulius Caesar, in oratione, qua coniuratorum Catilinae caussam agit, apud SALLVSTIVM. B. Cat. Cap. LI. *Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, compositae atque magnifice casum rei publicae miserati sunt; quae belli saeuitia, quae victis acciderent, enumerauere. Rapi virgines, pueros, diuelli liberos a parentium complexu, matres familiarum pati, quae victoribus collibuisse, fana atque domos exspoliari; caedem, incendia fieri; postremo armis, cadaueribus, cruore atque luctu omnia compleri.* Ex nostris hominibus calamitates, im-
petu

petu et furore belli regionibus importatas, IO. PETR. MILLE-
RVS, *in epistolis moralibus*, Ep. XII. multis, iisque tristissimis ima-
ginibus depinxit. Inprimis autem in effusa armorum vi ac licen-
tia, viuis quasi coloribus exprimenda, ingenium poetarum la-
tius vagatur, vt Homerus in describendo Troiae excidio ma-
gnum se praestitit artificem, quem aequis passibus, immo maio-
ribus, secutus est Virgilius. Aen. II. Sic etiam, vt alios tempori
seruiens omittam, LVCANVS auctor Pharsaliae grauiissimus, felici
Musa canens

*Bella per Emathios plus quam ciuilia campos,
Iusque datum sceleri — populumque potentem
In sua victrici conuersum viscera dextra,
Cognatasque acies, et, rupto foedere regni
Certatum totis concussi viribus orbis
In commune nefas,*

quanta ferocitate et immanitate bella priscis temporibus gesta sint,
fatis ostendit.

Nec vero mira cuiquam videri poterit ista ferocia igni ferro-
que saeuens, qui bellum, natura sua, statum esse cogitauerit
non legibus ac iure, sed per vim pugnantium. In quo quidem
articulo constitutis perinde est, siue dolis ac fraudibus hostem cir-
cumueniamus, seu armis ac virtute rem geramus; immo artes,
quae dolos neſunt inimicis, in laude poni solent, dummodo
rebus nostris atque amicorum prospiciamus. Ita Brasidas dux, apud
Thucydidem, belli Peloponnesiaci scriptorem, Τα κλέμματα ταῦτα,
inquit, καλλίστην δόξαν ἔχει, ἂν τὸν πολέμιον μάλις ἂν τις ἀπαλήσας,
τὸς φίλος μέγισ' ἂν ὠφελήσειεν. *Furta haec honestissimam habent glo-
riam, ubi quis, decepto inprimis hoste, amicis maxime proſit.* Cho-

roebus autem Virgilianus Troianis summum in discrimen adductis suadens, ut Graecis in pugna caesis clypeos, galeas et reliqua, quibus noscantur, insignia detrahant, maioremque hosti cladem incogniti faciant, haec addit: *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* Crescit atrocitas ac latius grassatur, mutuis bellantium odiis inflammata et concitata, ruit ad quaeuis tristissima. Nam cum omnibus modis id agant vnum, ut alter alterius quaerat interitum, cuncta sibi permittunt, quae ira grauius commota iubet ac dicitur. Quid hic quondam hosti in hostem licuerit, quid nunc liceat, DE VATEL, scriptor praestantissimus, variis exemplis, acri iudicio tractatis, ostendit ac docet, *in Iure gentium*, Lib. III. Cap. VIII. seq.

Sed historiam adeamus, magistram optimam. Obstupefacti sane legimus, quot millia hominum vno praelio confecta sint. Taceo certamina Darii cum Alexandro, a Curtio praesertim immane quantum exaggerata; nec Luitio strages hostium ingentes commemoranti habenda semper videtur fides explorata satis ac certa. Referam potius Ierobeami, Regis Israelitarum, cladem, qua maiorem vspiam se legere non meminit BOCHARTVS, *Hiero-
zoic.* T. I. p. 354. copiosissimae vir lectionis. Pluribus haec exponitur 2. Chron. XIII. Nam, coacto vndique exercitu octingentorum millium militum, eorumque iuuenum ac strenuorum, copiae Regis Israelitarum, Abiae, duplo minores, Ierobeamum tanta strage fuderunt ac fugarunt, ut quingenta armatorum millia ferro caesa interirent. Fuerunt quidem, qui numerum, aberratione scribarum, putarent nimium, ac legere quinquaginta millia mallent. Sed hi secum non reputarunt, quantum possit auxilium Dei praesens ac manifestum, Abiae, rebus adeo desperatis, praestitum, iudiciumque scriptoris sacri, sic fractas fuisse Iero-

Iero-

Ierobeami vires, vt se colligere rursus non posset. Neque etiam magnopere fallemur, si tantae cladis causam cum Bocharto repetamus ex vitulorum cultu nefario, quo Ierobeamus atque Israelitae iram iustissimi Numinis ad flagitium hoc seuerius puniendum concitauerant. *Addo, inquit ille, quem supra laudauimus, Israelitarum crimen multa caede fuisse expiatum. Nam pro ter mille vituli cultoribus, quos interfecerat Moses, Abia, Rex Iudae, vnus e piis, postquam Ierobeamo et Israelitis vitulorum cultum exprobrasset, eos tanta clade fregit, vt vno praelio corruisse legantur virorum quingenta millia.* Plura cladis horrendae exempla, ex priscorum memoria temporum repetita, leges in summe Venerabilis SÜSSEMILCHII libro, quem inscripsit: *Die göttliche Ordnung in den Veränderungen des menschlichen Geschlechts*, etc. T. I. p. 336. seq.

In captos autem tanta fuit licentia olim saeuitum, vt neque maribus, qui arma abiiecissent, neque supplicibus, neque feminis imbellibus parceretur. vid. GROTIUS, *de Iure Belli ac Pacis*, Lib. III. Cap. IV. §. IX. X. XI. Quamuis etiam captiui plerumque seruantur; mala tamen morte paullo minora pertulerunt, in seruitutem redacti simul cum liberis et vxoribus, atque instar pecorum, licitantibus venditi. Neque ab ipsis quidem Regibus, quorum personae debebant esse sacrosanctae, crudelitas ac libido victoris abstinuit. Namque hi, peracta sollemnis triumphi pompa, vel diis, velut Ioui Capitolino, mactabantur, vel vna cum Reginis cunctaque familia, in carcerem dati necabantur, vel in perpetua vincula coniiciebantur, exemplo Persei, postremi Regis Macedonum, cuius sortem admodum tristem pluribus describit LIVIUS, Lib. XLV, C. VII, seqq. Obsides olim occisos a Thessalis ducentos quinquaginta, a Romanis Volscos Auruncos ad trecentos, ex priscis scriptoribus refert GRO-

TIVS

TIVS, l. c. §. XIV. Quanta vero acerbitas, quanta immanitas in obsides faeuire innocentes, falsa persuasione, hominibus ius in vitam infantium atque inermium esse concessum!

Quodsi vrbes sine deditioe fuerunt expugnatae, barbara immanitas, ignobilium ritu belluarum insaniens, omnem humanitatis sensum exuit. Horret animus meminisse cadauera nobilissimarum urbium, Carthaginis, Corinthi, Hierosolymorum, fando vix audita crudelitate disturbatarum. Hic

*Vna salus victis nullam sperare salutem; hic
Luctus, ubique pauor, et plurima mortis imago.*

Nationi cuidam ferae scriptor anonymus in libello, quem inscripsit: *Ueber die Geschichte der Menschheit*, P. I. p. 169. in more positam esse tam immanem belli gerendi crudelitatem, commemorat, vt captiuos excoriant, ac detracta pelle, ad maiorem hostibus terrorem incutiendum, tympana induant. Arma veneno tincta PLINIUS, tradit, *Hist. nat.* XI, 53. Immo barbara non nunquam feritas puteos veneni peste inficiendos suavit; stupris denique, adulteriis, omni turpitudini frena olim fuerunt laxata, quod inter arma leges filere, iusque ac fas omne hominibus naturam dediscantibus abruptum esse videbatur. Nostris vero temporibus euanuit horribilis illa species immanitatis, iure gentium moratiorum oblitterata penitus ac deleta.

Bella hodie minus temere suscipiuntur, omnia prius anquiruntur plerumque atque afferuntur ad pacem concordiamque seruandam, aut recuperandam, quam vi et armis ius suum Principes prosequantur; et si qua necessitas inciderit, quae arma suadeat induenda, libido et crudelitas, cuius memoriam
prisca

prisca repetentes tempora perhorrescimus, plerumque exulat. Victis inermibusque parcitur, humanius multo ac mitius tractantur captiui, senibus, feminis, pueris nulla infertur vis, nulla iniuria, nulla contumelia, obsides perinde ac legati habentur sancti atque inuiolati, non locus est veneficiis, non, nisi summa necessitas suadeat, incendiis, non rapinis, non caedibus innocentum; et si qua oppida vi expugnata fuerint, a caede militum praesidiariorum abstinetur. Captae quidem vrbes ab incendio redimuntur ingenti sumtu, neque suis tamen quisquam ciuium domiciliis aut bonis expellitur, nemo quietus in captiuitatem abducitur. Vnde tam insignis rerum, adeo formidolosarum, commutatio? Vnde maius in ipso belli discrimine mansuetudo?

Religio verior emolliuit ac mansuefecit humanum genus. Quamuis enim disciplina Christi, gentibus omnibus ac nationibus multo saluberrima, non eam semper vim in animis Principum exferat, quae summo amore ac studio pacis hos imbuat: Mos tamen belligerandi longe mitior atque humanior, et a prisco- rum atrocitate saeculorum penitus aliena et remota, ex religionis Christianae praeceptis atque institutis merito atque optimo iure est repetendus. Bella quidem non omnino prohibenda censet Christi Seruatoris disciplina, quemadmodum, praeter sectas integras Anabaptistarum, Socinianorum, aliorumque, ERASMVVS, ingenio suo deceptus, statuit in *milite Christiano*, atque in prouerbio, multo doctrinae apparatu illustrato: *Dulce bellum inexpertis*. Adagior. Chiliad. III. Centur. X. p. m. 845—861.: Sed alia omnia GROTIVS, in *Iure belli ac pacis*, perfecit grauissimis argumentis. Permittit quidem doctrina Christi bella, praesertim, si vita, si fortunae, liberi, parentes, amici, ipsaque patria, quae omnes complectitur caritates, defendenda sint: Neque tamen minus in

b

bello

bello sanctum ius habet atque illaesum, quam in pace. Itaque leges inter arma obmutescere non patitur, negat licere, quicquid licentiae militari libeat, nec sinit, ut, quibuscunque regionibus arma inferantur, ibi caedibus, incendiis, expilationibus, petulantiae, libidini ac furori cuncta pateant. Id vero per singula crudelitatis genera, de quibus supra dictum est, eundo, Gro-tius idem luculenter demonstravit. Placet ex locis plurimis af-ferre vnum. Lib. III. Cap. VII. §. IX. *Sed et Christianis in vniuer-sum placuit, bello inter ipsos orto, captos seruos non fieri, ita, ut ven-di possint, ad operas vrgeri, et alia pati, quae seruorum sunt: Me-rito sane, quia ab omnis caritatis commendatore rectius instituti erant, aut esse debebant, quam ut a miseris hominibus interficiendis abduci nequirent, nisi minoris saeuitiae concessione.*

Nihil autem illustrius, excelsius atque amabilius posteris com-mendari potest, quam ducum Christi disciplina imbutorum ae-quitas, cunctis obuia atque exposita, et vel in hostium conspectu stans, imperii clementia, nemini non parata. Laudat hoc no-mine PROCOPIVS Belisarium inprimis ac Totilam, duces cla-rissimos, de *Bello Gothico* III, c. I. nec temperare mihi possum, quin ex scriptore luculentissimo repetam vtriusque imaginem sae-culis omnibus commendabilem, quam contemplatus Ciceronis vocem reperio verissimam, *pro M. Marcello*, C. III. *Cum aliquid clementer, mansuete, iuste, moderate, sapienter factum, in iracun-dia praesertim, quae est inimica consilio, et in victoria, quae natu-ra insolens et superba est, aut audimus, aut legimus: Quo studio in-cendimur, ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus?* En ima-ginem Belisarii, veneratione sanctam, virtutibusque altissimis admirabilem, quam Procopius informauit, ex conuersione lati-na: *Obuiis adeo facilem se et benignum praebebat Belisarius, ut*
homo

homo tenuissimae fortunae, sortisque infimae esse videretur. Eius imperium milites et agricolae magno semper opere amarunt. Milites quidem, quod ipsum experirentur mortalium omnium munificentissimum. Nam qui praelio male accepti fuerant, illis grandi pecunia vulnerum acerbiter leuabat; qui facinus praeclarum ediderant, his armillas et torques in praemium dabat. Si cui militi in certamine vel equus, vel arcus, vel aliud quiddam periisset, continuo re simili Belisarius iacturam sarciebat.

Amabant vero imperium eius agricolae, propterea quod ita illis parcebat consulebatque, ut eorum nemini vis unquam illata fuerit, ducente exercitus Belisario. Immo vero omnes, apud quos cum copiis versabatur, insperantes ditabat. Nam venalia quaelibet quo volebant, pretio illis diuendebant; et cum segetes adolescerent, sedulam dabat operam, ne, qui aderat, equitatus, noxam illis vspiam faceret. Pendentes ab arboribus fructus nemini contingere licebat.

Praeterea vir erat singulari praeditus continentia. Nullam enim feminam, praeter uxorem, attigit, et cum Vandalas Gothasque bello cepisset mulieres, tot numero, tamque oris specie praecellentes, ut nemo pares viderit, earum nullam in conspectum suum, ne dum in congressum venire suum.

Cum in aliis rebus omnibus sollertissimus erat, tum in dubiis viam inire optimam apprime callebat. Inter belli discrimina caute strenuus, et prudenter animosissimus; ac si quid in hostem aggredere, promptus idem et cunctator, prout alterutro opus erat, solebat esse. Ad haec in adversis rebus fidentem et imperturbatum animum ostendebat. In prosperis non efferebatur superbia, neque indulgebat genio. Certe vino madentem nemo unquam Belisarium vidit. — — —

Si quis imperanti ipsi voluisset obsistere, non ausus esset. Mandata eius omnia omnes peragebant ducti virtutis reuerentia, ac potentiae metu.

Totilae autem, Gothorum Regi, quam aequa mens et generosa fuerit, praeter alia, quae Procopius in eo praedicat, clementiae et continentiae exempla, oratio, qua Gothorum allocutus est exercitum, satis et abunde declarat. C. XXXI. *Ante hac Gothi aequitate cunctis posthabita, inter se, et in Romanos subditos scelera committebant, quibus Deus, ut par erat, commotus, aduersus illos una cum hostibus bellauit. Quam ob rem numero licet, virtute et bellico apparatu aduersariis longe superiores, occulta quadam ac minime perspecta vi fracti succubuimus. Ergo situm in vobis erit, ut bona iam parta tueamini, nimirum CULTV IVSTITIAE; vnde si deflectatis, illico Deus contra vos stabit. Neque enim certo cuidam hominum generi, nec naturae gentium auxiliari in bello solet; sed iis, qui ius fasque impensius colunt. Neque ipsi difficile est ad alios bona transferere; cum arbitrii quidem humani sit solum abstinere iniuria: At Deus omnia in sua ditione habeat ac potestate. Quare dandam esse operam dico, ut inter vos, atque erga subditos, aequitatis officia seruetis; hoc est, ut certam felicitatem retineatis.*

Hodiernum quoque ius gentium, ab Mosero, eximiis hinc meritis illustri, perpolitum, in clara luce collocat, quid, quantumque hominum societas institutis Christi mitissimis debeat. Haec gentes immanitate efferas, haec nationes omni crudelitate ac libidine deterrimas ad mores mansuetos atque humanos deduxerunt. Qua quidem de victoria, Christianae religionis vi ac virtute in mortalium animos, mirum in modum emendatos et emolitos, impetrata, cum Patribus caeteris merito exultat gaudio ac triumphat EVSEBIVS, *Praeparat. Euangel. Lib. I, Cap. IV. p. 10. seq. ed. Colon.* Christi nimirum disciplina, multo excellentissima et saluberrima, vel in hostes acerrimos amorem, rationi corruptae adeo difficilem, dicitur non solum, sed etiam exemplum Dei, Patris Immortalis, atque ipsius Seruatoris, in pessimos homines
optime

optime animatorum, ad contemplandum atque imitandum proponit.

Quae cum ita sint, quid est, quod nostris etiam temporibus sanctissimae religionis contemptores atque irrisores adeo ingratos se praebeant beneficiis tam insignibus? Felicitas omnis, qua ipsi fruuntur in tranquilla vitae ciuili societate, ex religione Christiana, radios suos latius spargente, oritur. Ecquae foret Europae facies, si, quae olim ibi sedem ac domicilium habebant, ferae ac superstiosae gentes, religione meliori paullatim domitae, ad lenitatem et misericordiam institutae non fuissent? Ecquae tandem foret totius terrarum orbis conditio, si iura, leges, atque instituta tollerentur, quorum utilitas ac salubritas ex Christi doctrina originem ducit; si vel parua scintilla rectae fidei, qua Deus colitur, et amoris in alios intemerati, quae in animis plurimorum remansit, prorsus extingueretur?

Dices fortasse, inter Christi quoque sectatores haec asperitatis in bello genera, de quibus supra exposuimus, ne nostra quidem memoria desiderari. Noli vero castam religionem atque incorruptam commiscere cum excordi ac vana superstitione, quae secus sentientes modis omnibus vexat, quae hominibus, ab opinionibus his praeiudicatis alienos, omnia, quae potest, mala importat, rata, sic se gerendo Dei gloriae feruiri. Deinde rarius audacia tam foeda libidinibus indulget, si cum duritie inhumana veteris memoriae comparatur. Messum, ut ita dicam, satis optimam tristissimorum crudelitatis exemplorum priscis temporibus nullo negotio colligimus, cum hodie vix supersit spicilegium. Tandem Germania, vi mentis ad cauendum magis intenta, ipsis cernit oculis, quam sit periculosum, gentes exteras, neque satis cultas, in fines suos magna multitudine adduci.

Maximas igitur Deo Immortali gratias agimus, maiores, imis
 venis medullisque conceptas, sentimus, quod, depulso belli iam
 ingrauescentis periculo, malorum, quae extimescebamus, omni-
 um finem dedit exoptatissimum, afflictis Germaniae rebus subue-
 nit, publicam securitatem reuocauit in sedes pristinas, summis
 Principibus in eam mentem impulsis, vt patriae ducti caritate, vt
 amore ciuium suorum permoti, pacem bello praeferendam iudi-
 carent, bellique exitiosi flammam vix exortas, consiliis ad tantum
 opus perficiendum iunctis, exstinguerent. Neque quicquam
 est, quod cupidius optemus, quod a Deo O. M. maiori con-
 tentione certatim precemur, quam vt pax, illa rerum humana-
 rum optima, in finibus nostris restituta, constantissime seruetur,
 nihil vnquam ex stabilitatis suae praesidiis desideret, ac ferae po-
 steritati Teschenensis memoriam pacificationis in annalibus reco-
 lenti, amplissimam et laetissimam benignitatis diuinae, tanta vber-
 tate in nos effusae, laudibus efferendae ac praedicandae, materi-
 am praebet. Inprimis mitem pacificumque FRIDERICI AV-
 GVSTI, PATRIS PATRIAE OPTIMI ATQVE INDVLGENTISSIMI,
 veneramur animum, quo nihil minus in votis consiliisque habuit,
 quam concordiam, parentem ciuitatum multo dulcissimam, arce-
 re. Vota nos publice priuatimque nuncupamus pro FRIDERICO
 AVGVSTO CLEMENTISSIMO, quem, ob prolixam beneficam-
 que naturam, dotem illam Principalem, Saxonicae domui genti-
 litiam, rectius, quam Titum Romanorum, GENERIS HVMANI
 DELICIAS appellauerimus. Eo sane patriae communis PAREN-
 TE ad vltimam vsque senectutem, saluo ac florente, Saxonia,
 decore pristino ex voto animique sententia recuperato, exsplen-
 debit.

Iam

Iam parte officii, longe sanctissimi, nos defuncti conuertimur ad disciplinae nostrae alumnos, multae spei iuuenes, craftina luce ad dicendum prodituros.

I. IOANNES CHRISTIANVS NEVBERT, Choro Alumn. I. Praefectus, cui *Villa Ioannis Georgii* locum natalem praebuit, lingua ostendet patria: *Belli compositi cogitatione suauissimum recuperatae pacis sensum magnopere augeri.*

II. EHRENFRIED GOTTLOB EBERT, *Baerensteinensis*, Choro II. Alumn. Praefectus II, *de pace* dicet, *a Iesu glorioso mortalibus denunciata*, verbis latinis.

III. IOANNES CHRISTOPHORVS KRETSCHMAR, *Stürzensis*, Choro Currendanorum I. Praefectus, latine exponet, *de Concordia, religiose ab Romanis culta.*

IV. IOANNES CHRISTIANVS SCHVMANN, *Fischbacensis*, Choro Currendanorum II. Praefectus, *superstitionem discordiae et crudelitatis parentem*, oratione latina exhibebit.

V. ANDREAS FRIDERICVS CHRISTIANVS WIEDEMANN, *Dresdensis*, Extran. versibus lingua patria compositis, *felicitem* describet, *ex stabili pace in prouincias dimanantem.*

VI. GOTTFRIED EHRENREICH OERTEL, *Dresdensis*, Currend. *religionem Christianam optimam esse pacis et concordiae magistram*, lingua Romanorum declarabit.

VII. GOTTLOB HENRICVS PFITZMANN, *Dresdensis*, Extran. *Pacem artium ac disciplinarum liberalium adiutricem et conseruatricem*, lingua Francogallorum praedicabit.

His Academiae Candidatis succedent duo Iuuenes praestantissimi.

VIII. IOANNES FRIDERICVS DEGENKOLB, *Dresdensis*, Extran. *iuuenes ad fines optimos bene consociatos multum aduare florem scholae*

la-

larum, oratione, quam lingua nobis vernacula concepit, in aprico ponet.

IX. HENRICVS WOHLRATH REHKOPF, *Zwiccaviensis*, Extran. venerabilem pacifici Principis imaginem carmine germanico depinget.


Quibus recitatis orationibus, iterum prodibit

IOANNES CHRISTIANVS NEVBERT, grati animi officium suo et commilitonum, in Academiam cogitantium, nomine declaraturus.

Agmen claudet

X. IOANNES CHRISTIANVS SOERNITZ, *Düßnitiensis*, Choro Alumnorum I. Adi. nouis Academiae ciuibus fausta quaeuis precaturus.

His vii rerum in Academia successum, virtutibus cuiusque parem, gratulor; ita bonarum artium Statores, Nutritores, ac Patronos ILLUSTRISSIMOS, GENEROSISSIMOS, EXCELLENTISSIMOS, EPHORVM SCHOLAE MAGNIFICVM AC SVMME VENERABILEM, PATRES CONSCRIPTOS AMPLISSIMOS AC SPLENDIDISSIMOS, SACERDOTES PLVRIMVM REVERENDOS, MAGISTROS SCHOLARVM CLARISSIMOS, et quicumque artium ingenuarum flore ac prouentu gaudent, submisse, reuerenter, officiose atque humaniter his volo rogatos, dent hoc iucundissimae pacis, nuper factae, cogitationi, dent spiritus diuini ac bonarum artium officinae, dent honestarum alumnis disciplinarum, vt cras, hora tertia pomeridiana, gratia, indulgentia, beneuolentia, et humanitate sua subleuent dicturos. Quam prolixam voluntatem quemadmodum in lucro semper ponemus, ita nunquam nos commissuros, vt tali beneficio indigni videamur, sanctissime pollicemur. Scribeb. in schola Dresdensi Cruciana, d. XX. April. A. O. R. cIdo Id cclxxx.



38. 8° 9507